

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ac tuis vicissim benefaciat, & multa ac magna in familiam nostram merita cumulate compenset. Bene Vale, Die 10. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXII.

*S. D. Reverende & clarissime Domine Superintendens, Patrone colende.*

**M**isi hoc Epistolion Tutoribus orphani nepotis mei ex sorore, Jacobi Aquilæ, ut occasionem te adeundi, cum Adolescentem isthuc adduxissent, commodiorem haberent. Quod autem aliis literis rogavi, ut beneficiis erga me & totam familiam nostram multis & amplissimis hoc quoque adjungeres, & Jacobo Aquilæ, quem ingenio literarum & virtutis capace esse intelligo, habitationem & victum in Collegio Wilhelmitarum vestro curares: idem nunc etiam repeto. Nec dubito te *ὁμοῦ ἰουδαῖος, ὁμοίως δακρῶν, ἰωάννης τοῦ θεοῦ* oblaturum esse. Si quid etiam pro victu numerandum est, non gravatè à Tutoribus vel me persolvetur. DEUM oro, ut tibi ac tuis vicissim benefaciat, & longa vite spacia, viribus animæ & corporis vigentibus tibi propter Ecclesiam addat. Bene vale, 20. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXIII.

*Reverende vir & clarissime Domine Doctor ac Superintendens.*

**G**ratiam tibi habeo, quantam maximam meus potest capere animus, pro literis humanissime ad me scriptis. Si qua in re benevolæ & piæ mentis significationem, & tibi, & filiis tuis, rursus probare potero, efficiam certe, ut intelligas studium & voluntatem, vobis gratificandi, mihi non deesse. Legi literas tuas, viro clarissimo & optimo, D. Doctori Davidi Chytræo, inscriptas, quibus exponis causas consilii tui, quo adductus, à nobis, qui sacram Theologiam in hac urbe rosarum, profitemur, petis, ut duobus filiis, M. Erasmo & M. Philippo Marbachii, eruditionis, pietatis, modestiæ & gravitatis laude ornatissimis, insigniâ & gradum Doctorum in Theologia, conferamus. Ea vero in re, tibi morem gerere, summa voluntate